Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1299

Quelle:
Copyright:

ſumpta materia cognoſcetis. Dicere me nolui. ne propter nomen iſtius temporis. et perſonam que nulla in me eſt. quod ſcribo. per ſe uile magis uileſceret. &c. Crabrones nempe ſibi priori Scripto excitaverat, fuereque, ut narrat, qui illud igni damnaſſent, niſi *Adelbertus* obſtitiſſet. Nominat inter Adverſarios *Gregorium quendam medicum monachum*, aitque ſe *Libellum* ei *Apologeticum* reſcripſiſſe, *quem quia cum feſtinantia fudi. ſine titulo dimiſi. Hic ſic incipit. Nullus. nulli. nichil.* &c. De hoc poſtea. Hic interim

III. *fol.* 22. *Incipit Palinodia. quod indignus et peccator diuina et ſancta ſcribere preſumpſit.* Initium: *Quod incorrupta. quod immaculata. quod virgo in partu beata maria permanſerit* &c.

IV. *fol.* 31. p. 2. *Item Palinodia ſuper eodem ad ſpiritum ſanctum.* Initium: *Audiam quid loquatur in me dominus deus. Domine ſancte ſpiritus. tu es dominus deus* &c. Adhaeret et *Oratio ad Spiritum ſanctum.*

V. *fol.* 41. *Item Palinodia ad beatam mariam.* Initium: *Quid loquar? Cui loquar? Domina ad quam ſcribere* &c. Nimium, ſi quid video, paratragoediat Noſter in argumento, in quo communis Eccleſiae ſenſus alioqui pro eo facit, ut videre eſt apud *Petavium Theol. Dogm.* T. VI. L. 14. cc. 5. 6. Sed nondum ſatis.

VI. *fol.* 53. p. 2. ſequitur *Libellus Apologeticus* ſupra dictus contra *Gregorium*, cujus *Prefatio uel Epiſtola*, ut pariter dictum, incipit: *Nullus. nulli. nichil;* Libellus vero ipſe: *Igitur conjectis oculis in liminarem ſcriptorum tuorum paginam ſurſum in extremo margine ejusdem pagine ſeparatim ſcriptum uidi. Sancti ſpiritus aſſit nobis gratia. Dubitaui an eſſet penne probatio. an ſcriptoris inuocatio* &c. Vides acutum eſſe Απολογητην noſtrum; addo et pro aevo ſuo literis ſacris et profanis egregie excultum, quod frequens PP. item *Ariſtotelis*, *Horatii*que uſus probat. Frequenter Adverſario illud ingerit: *Si quid mordacius ſcribo. philoſophi patientiam probo.* Ita finit etiam: *Si quid mordacius ſcripſi. patientiam philoſophi probaui.* Ceterum haec de Modo virginei Partus Controverſia jam Sec. IX. agitata fuit inter *Paſchaſ. Ratbertum* et *Ratramnum Corbejenſes*, quorum Opuſcula habes in *Dacherii Spicil.* edit. *Pariſ.* 1723. f. p. 43. et p. 52. Poſterior Noſtro contrarius in *Germania* ortam ait.

VII. *fol.* 67. *In Aſſumptione S. Marie V.* Sermo hic incipit: *Dies iſte dies laudis eſt. Laudis autem huius cauſa eſt beata uirgo maria* &c. et finit: *ad hanc beatitudinem participandam adiuua nos Mater dei. Amen.*

VIII. *fol.* 75. *Sermo in natiuitate S. Marie V.* Initium: *Hoc mare uiſibile et nauigabile habet multa diſcrimina* &c. Abrumpitur vero in his verbis: *qui puluis pigmentarii eſt. quod de ſpiritu ſancto conceptus — —.* Hos Sermones

putem